

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5551

Auteur(s) : Robert de Beaumont, Meulan (comte)

Bénéficiaire(s) : Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1180

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Robert, comte de Meulan, donne à l'église Sainte-Trinité de Beaumont[-le-Roger] et aux moines du Bec qui y servent Dieu un emplacement d'un moulin dans son enclos et un chemin libre de la cour des moines audit moulin. Il reçoit des moines pour cette donation trente livres d'Anjou et son fils Galeran un talent d'or.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862, t. 1, p. 212-213.

Texte établi d'après a

Quoniam jura et commoditates ecclesie S. Trinitatis de Bellomonte et quodcumque ad servicium Dei quiete faciendum pertinet, non solum integre et in pace custodire, verum etiam ampliare et emendare volumus, sciant omnes barones et baillivi mei, tam presentes quam secuturi, quod ego Robertus, comes Mellenti, pro salute mea et antecessorum meorum, dedi et concessi et sigillo meo confirmavi ecclesie S. Trinitatis de Bellomonte et monachis Becci in eadem Deo servientibus, sedem unius molendini in parco meo subtus molendinos meos, ad molendum bladum sui victus et sui manupastus tantum, ita tamen ut molendini mei non impediuntur nec pejorentur. Quod si fieret, emendare tenerentur ; et si emendari non aliter posset, sedes molendini mutaretur. Si quis autem ad prædictum monachorum molendinum bladum suum vel molere vel moluisse deprehensus fuerit, tam ipse quam molendinarius monachorum reus meus erit sicut alii forifatores molendinorum meorum. Et inde molendinarius monachorum, quicumque erit, securitatem mihi faciet. Concessi etiam viam liberam et convenientem a curia monachorum ad molendinum, cum clausura, qualemcumque facere voluerint. Tenentur etiam monachi claudere parcum meum a muro usque ad aquam. Hoc igitur molendinum, ita ut prænominatum est, tenendum liberum et quietum ab omni consuetudine et exactione et vexatione, dedi prædictis monachis in perpetuum elemosinam, concedente et precante Galeranno, filio meo. Concessi etiam super hoc præfatæ ecclesie totum porprisium Balduini capellani, quem Robertus de Aureis Vallibus, tunc temporis prior ejusdem ecclesie, consilio et assensu meo emerat pro XVI. libris andegavensis monetæ, a Radulpho, filio ejusdem Balduini, et Roberto Pegrino, fratre ejus, similiter quietum ab omni consuetudine jure perpetuo, quandiu in propria manu monachi tenuerint. Quod si ad mansuras traditum fuerit vel ad aliam manum devenerit, ad consuetudinem burgagii michi respondebit. Pro his autem donationibus et concessionibus habui ex caritate ecclesie et recognitione XXX. libras andegavensium, Galerannus, filius meus, talentum aureum.

Testes : Robertus, comes Leicestrie ; Hugo de Alnou, Arnaldus de Torvilla, Almaricus et Rod. fratribus comitis ; Rod. de Grolay, Galterius de Brionio, Matheus de Bochetot, Rod. Parvo, Guills de Mannevilla, Guills Cain, Hugo

Vales, Rogerius Vales, Stephano de Bernay, Robertus de Capella, Rodulphus, Balduinus, Robertus Peregrino,
Hugo de Caux, Hugo Bordellus, Gaufredus Rugeleon.
Facta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini M° C° LXXX°.